


SPICILEGIUM HISTORICUM

Congregationis
SSmi Redemptoris



Annus IV 1956
Collegium S. Alfonsi de Urbe

TERTIO EXPLETO ANNO

a conlectis his historiae nostrae spicis, de opere hucusque feliciter perpetrato, laetos esse suspicamur rerum congestarum auctores, redigendarum socios, impressarum lectores.

Aucto labore, benigne providit Summus nostri Instituti Moderator, novo adlecto nobis socio, RP.e Raymundo Tellería, Hispanicae Provinciae sodali, de studiis nostris historicis bene merito, in documentis indagandis assiduo, de Patre nostro Alfonso claro scriptore (1).

Quartum igitur *Spicilegii* nostri annum ingressi, certam credimus adesse spem, ut opus, a defleto Superiore Generali P.e Buijs tenaci voluntate appetitum, ab hodierno Rectore Maiore generosa intelligentia prosecutum, magis porro increscat (2).

Proposita nostra rerum tractandarum amplitudinem augendi, indagationis et sermonis serietate minime neglecta, hoc fasciculo comprobamus, novum ac grave argumentum documentis studiisque historicis praesentare incipientes, argumentum dicimus nostro Instituto maxime pertinens, sacrarum scilicet ad christianum populum Missionum (3).

(1) TELLERÍA TORÓRICA Raymundus, *15 III 1903 Orduña, prof. 26 VIII 1920 Nava del Rey, sac. 27 IX 1925 Astorga. Scripta, quae historiam nostram illustrant, vide apud M. DE MEULEMEESTER, *Bibliographie* II 419, III 395; *Spicilegium* 1(1953) 268-269 n. 349-360, 3(1955) 475 n. 139-141, 484 n. 285-286, 500 n. 20 et 22. De magno plausu, quem opere suo *San Alfonso de Ligorio*, an. 1950-1951 in duobus voluminibus edito, fructu indagationis multorum annorum, obtinuit, vide iudicia peritorum apud *Analecta CSSR* 23(1951) 145-147, 195-197; *Sant'Alfonso* 23(1952) 164-165; *Civiltà Cattolica* 104(1953 II) 436-437; *El Monte Carmelo* 60(1952) 131-132; *Manresa* 24(1952) 431-432; *Archivum Hist. SI* 21(1952) 367-369; *Angelicum* 30(1953) 303-304; *Gregorianum* 34(1953) 123-124; *Analecta Bollandiana* 72(1954) 482-484. A principio nostris ephemeridibus strenue adlaboravit, pro quovis fasciculo documenta vel studia suppeditando.

(2) *Spicilegium historicum*: tribus primis annis ad paginas 288-473-511 pervenit, et firma nobis adest spes, in posterum ca. 500 paginas annuas lectoribus tradere posse.

Bibliotheca historica: anno praeterito prima duo volumina edi potuerunt: O. GREGORIO, *Mons. Tommaso Falcoia, 1663-1743* (pp. XIII-364, 32 ill.) et TH. LANDTWING, *Die Redemptoristen in Freiburg in der Schweiz, 1811-1847* (pp. XII-149, 5 ill.). Alia quaedam iam in promptu sunt vel parantur; sic praevidere licet hoc decurrente anno alia duo volumina edi posse.

(3) Iam an. 1954 in primo fasciculo relationem Missionis nostrae dedimus, et quidem a PP.bus Collegii in Montecchio 2-17 Febr. 1847 habitae in Acquafredda, sed ratione magis Sanctae Paulae Di Rosa, tunc recens albo Sanctorum adscriptae, quae hanc Missionem enixe fovebat (*Spic.hist.* 2, 1954, 87-104). Nunc vero intentio nobis est, frequentius in fasciculis *Spicilegii* vel etiam *Bibliothecae* de re missionaria agere.

Nec tacere volumus, modestum nostrum laborem privatam et publicum consensum obtinuisse, et laudationem nostrorum aequae ac exterorum, inter quos rerum historicarum indubitati periti (4).

Amor Sodalitatis nostrae eiusque operis, per duo iam saecula feliciter naviterque perducti, qui nos nostrosque adiutores movet ut *Spicilegium* et *Bibliothecam* historicam strenui imprigrique prosequamur, amorem moveat augeat compleat fratrum nostrorum qui haec legunt ac recolunt, ut ex amore rerum nostrarum praeteritarum, melius cognitarum, actiones moderni nostri apostolatus ac internae conversationis spiritus aequo tramite procedant, ita ut historia nostra magistra sit vitae nostrae.

SOCII REDACTIONIS

(4) Testimonium aestimationis quam *Spicilegium* invenit, in eo etiam collocandum est, quod nonnulli institutorum scientificorum directores sicuti et plures aliorum periodicorum editores illud habere desiderant, quod tamen ordinarie obtineri tantum potest, mutando nostra folia cum aliis periodicis vel libris (vide indicem horum institutorum et periodicorum in fine huius fasciculi). Aliud aestimationis testimonium invenire licet in eo quod rerum historicarum periti de nostro periodico bene et cum plausu scripserunt. Sufficiat haec pauca fratribus communicare: « Le premier fascicule double, paru en 1953..., offre une série de publications d'archives, d'études et de documents de grande valeur... » (J. RUYSSCHAERT in *Revue d'Hist. Ecclés.* 49, Louvain 1954, 738); « Nous souhaitons que le *Spicilegium* des Pères Rédemptoristes continue à nous donner des documents de valeur sur la Congrégation du Très-Saint-Rédempteur. Ce serait une précieuse contribution à l'histoire de la spiritualité » (A. RAVEZ SI in *Revue d'Ascétique et de Mystique* 32, Toulouse 1956, 103); « We welcome the appearance of a new historical journal, *Spicilegium Historicum*, published by the Redemptorists in Rome. The new journal began in 1953 and the first three volumes indicate a high standard of scholarship » (*The Catholic Historical Review* 42, Washington 1956-57, 110).